

versus Scytharum Sinarumque regna  
 mense Junio Pentecostes die susceperunt.  
 Quum ad Novam Zemblam ( quæ Bor-  
 rovæi, Pettæi & lackmani periculis jam,  
 non plene tamen, innotuerat) junctim se-  
 cundo satis flatu pervenissent; naves Am-  
 steldamenses, quarum cura Gulielmo Ba-  
 rendsonio mandata erat, versus Polum  
 ascendentes, Insulæ, quam dixi, littora ad  
 LXXV I. usque gradum penitus, & quam  
 umquam antea diligentius explorarunt;  
 reliquæ Enckhusana una, altera Zelanda,  
 quibus præerat Ioannes Hugonis F. Lin-  
 schotanus, qui septennium jam apud In-  
 dos fuerat moratus, Fretum Vaigatum  
 pernavigantes, in altum latumque pela-  
 gus sunt delatæ, ad confinia usque Obi,  
 nobilissimi Tartariæ fluvii, & ut nonnul-  
 lorum erat conjectura, ad Promontorium  
 fere Tabinum: sed quum harum Argo-  
 nautæ sufficere putarent Oceanum Tar-  
 taricum se satis ad futuram navigationem  
 rimatos; illarum vero, obstante, quæ aquis  
 circa littora innatabat, glacie, ulterius ire  
 nequirent; tertio mense reversi sunt in-  
 columes. Anno deinde sequenti septem  
 in eundem finem adornatæ fuerunt na-  
 ves, quinque in Hollandia, duæ in Zelan-  
 dia: quarum vectores eorundem, quos an-  
 te dixi, auspiciis, ductu vero variorum, in-  
 ter quos primi loci Gulielmus, cujus jam